

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Andronicus Contoblacas natione graecus, [...], Ioanni Reuchlin Phorcensi S.
D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

ROME HABITA. LIB. SECVND.

inquit, mihi consul, quia nec ego tibi senator sum. Reuixisset non data, sed nata lex illa, ut ui uim, obtinisset uetus adagium, Omnia dat qui iusta negat. Sæuisset prælium, ut pax fieret. Tum uero nihil ominis fuisset alicui tandem oblata rei componenda occasio post deuastationem monasterii, post Monachorum necem, post calamitatem extremam & irreparabilem. At non hoc modo proposuit, non ita fecit PHILIPPVS Illustrissimus filius tuus. Sed te clementissimum patrem suum imitatus, ad salutem propensior est, quàm ad interitum. Dummodo adhuc pietatis tuæ uices interponas. Vnde rogare te non desinit, hoc cures diligenter, ne aduersarii diutius abutantur patientia sua, quibus ne ad momentum quidem concessurus sit, nisi te unum tanto cultu prosequeretur, causamque omnem qua Monachus imperii Vassallus contra se laicum eiusdem quoque Imperii Vassallum temere contendit ad Cæsaream Maiestatem utriusque partis uerum dominum, & ad rei forum cum excommunicationis (si qua sit) absolutione uelis remittere, eorum quoque & de facta do iuri, & iudicato solueudo cauere semper se paratum ante obtulit, atque nunc offert omnium maxime, cum de feudis temporalibus de imperiis secularibus, de forestis, de conductu, de uectigalibus, de præfecturis & aduocationibus prophanis, castris, nullis & possessionibus agrorum agendum sit. Nec eorum consilia se quaris, qui nescio & si scirem, dicere nolim, qua humana imbecillitate uicti, non uerentur bella potius & ecclesiæ futura scandala, quam amplissimæ nationis pacem fouere.

Andronicus Contoblacas natione græcus, utriusque linguæ peritus, Ioanni Reuchlin Phorcensi.

S. D. P.

TVm modo ingenium literarumque græcarum experti doctrinam, magnopere optamus atque hortamur, ut alios græcas literas edoceas, quod multum conducet, nam non solum tibi id muneris prodesse, sed etiam audientibus honori fore arbitramur. Quare tua doctrina atque nostra autoritate fretus, literas græcas audire uolentes erudias, ut & ipsi doctiores in dies euadant, & tu ipse in legendis autoribus clarior ac uenustior sis. Vale, Basilea. Anno. CCCC. LXXVII.